



32.b.10.

DE
H O M I N E

P R A E S I D E

M. IO. LUDOVICO BOYE,
FACVLT. PHILOS. ADJVNCTO

Disputabit d. 21. April. 1714.

ANDREAS BENTZIUS, Colmaria-Alsatus.

TYPIS WERTHERIANIS.

Э И М О Н

Digitized by srujanika@gmail.com



THESES PHILOSOPHICÆ
DE
HOMINE.

Th. I.

Sapiens non paratur ex quarumvis rerum scientia, sed illarum duntaxat, quæ sunt majoris ponderis ac momenti. Multa sunt, quæ sine de core ignorant Sapiens. Quantum enim est quod nescimus ! Sunt vero & alia, cognitu plane necessaria, ut Sapientis nomen tueri nequeat, quisquis solidiore illorum cognitione est destitutus.

2. *Anaxagoras* quæsitus, cuius rei causa natus es set, coeli solis & lunæ videndi respondebat. Sed plus quod miremur in homine, quam in cœlo & terra habemus; cum judice *Sophocle*, nihil æque stupendum a hominem natura parens produxerit unquam.

3. Sapiens ergo in hancce collocatum se esse stationem judicat, ut se ipsum rite cognoscat ; conditoris sui vestigia in se ipso legat, summamque in Deo & quærat & inveniat felicitatem.

A i

4. Pra

4. Præcipua hæc sunt Sapientia humanæ momenta, heic summa & nucleus elegantioris & generosioris Philosophiæ. Quodsi cum *Ennio* paucis philosophandum, hæc sane illustriora nostræ meditationis debebant esse objecta.

5. A Deo incipit Sapientis amor, sed cognitio a se ipso exordium dicit. Scilicet intellectus propinquiora & facilitiora, sed voluntas nobiliora & excellentiora postulat objecta.

6. Nos ipsos ergo nosse discamus. Non enim *Thaletis*, aut alius Græciæ Sapientis, sed ipsius Dei *Cicerone* fatente est præceptum: *Nosce te ipsum*. Notitia namque sui ipsius, ut eleganter judicat *Simplicius*, principium est & finis Philosophiæ, omnisque felicitatis humanæ fundamentum: quo sensu *Demonax* interrogatus, quando philosophari cepisset, cum me ipsum cognoscere cepi, apte respondebat.

7. Duplex vero est hominis in Philosophia consideratio, *Moralis & Physica*. Sed cum hæc illius sit fundamentum, hominem quatenus substantiarum naturalium certa est species, nunc unice contemplabimur.

8. *Homo ergo quis est?* Forte *Diogenem Sinopensem*, lepidum illud caput, videbor imitari, qui accensa media meridie lucerna, homines quarebat. Inanis namque & frustranea hæc est quæstio, cum nihil sit notius homini quam homo ipse, sive se ipsum sive alios intruetur.

9. Sed non imaginem quæro, quæ hominem animal illud ut vocavit *Aristoteles*, terrestre, pedestre bipes, secundum externam figuram & proprietates in sensu incidentes adumbrat; ideam quæro, quæ naturam

&

& essentiam, quantum quidem hanc scire nobis est datum rite reperire.

10. Falluntur in hoc multi, quod imagines rerum cum ideis confundantur. Experientia namque docet, multorum imagines nos habere, quorum tamen idea menti non obversantur, eo quod illorum essentias non assequamur.

11. *Homo ergo quis est?* Prolixa sane quæstio, quæ prolixioribus est digna commentationibus. Nobilissimum enim est Dei opificium, admirabile hujus universi compendium, cum quicquid mundus continet, hic in se ipso complectatur.

12. Duas substantias, quas res alii vocant, novimus, corpora & mentes; *homo vero res est, ex mente finita, & corpore organico composita.* Brevis sane definitio, quæ vero compendium & summam exhibet illorum, quæ de homine prolixius a Philosophis traduntur, accuratiore autem meditatione neutiquam sunt indigna.

13. Quo quis enim diligentius mentem & corpus fuerit serutatus, eo illustriorem sui ipsius obtinebit notitiam, Dei Sapientiam & potentiam eo magis admirabitur, & ampliores in omni eruditionis genere faciet progressus. Nos hac quidem Dissertatione generalior consideratio sollicitos unice tenebit, quæ *speciatim* tum de *corpore*, tum de *mente* dici poterant, hæc alii reservabimus tractationi.

14. *Corpus humanum* machina est corporea naturalis artificioissima, e variis organis, infinitaque tubularum, & liquorum in hisce jugiter recurrentium, congerie, subtilissime coagmentata, ut hinc ad diversas operationes, tam vitales, quam animales obeundas perquisiri sit idonea.

15. *Ipsa natura, quam sequuntur, qui sunt artis illius, quæ de corpore humano præcipit periti, totam hancce machinam in ventres & artus distinguit.*

16. *Ventres* dicuntur insignes illæ cavitates, quæ non includuntur in alia cavitate corporis nostri, plurima autem nobilia, ac vitæ necessaria viscera comprehendunt; quales tres sunt: *Supremus, Medius ac infimus*, secundum situm ac ordinem quem tenent in corpore nostro.

17. *Supremus* venter *caput* vocatur, & præter involucra externa, organa sensoria, oculos, aures, nares, in se complectitur cerebrum, cerebellum, & principia nervorum.

18. *Medius* venter *peccus* vel thorax salutatur, & cor, pulmones, ac diaphragma comprehendit.

19. *Infimus* denique *abdominis* nomen gerit, ac in se fovet ventriculum, intestina, hepar, liencem, renes, vesicam, partesque genitales. Ut sic non errarit, qui corpus humanum faccio comparavit, variis iisque nobilissimis & excellentissimis instrumentis replete.

20. *Artus* sunt membra, medio ac infimo ventri adnata, in certos articulos, ossiumve commissuras aut juncturas distincta, qua apprehensioni, ob ambulacioni aliisque inferniunt usibus.

21. Qui medio ventri sunt adnata, *superiores* vel *bracia* vocantur; sed qui infimo, hos *inferiores, pedes*ve dicere solemus.

22. Quæ ad constitutionem corporis hujus concurrunt, non unis quidem a Physicis distinguui solent modis: certum tamen est partium alias esse *solidas*, alias vero *fluidas*.

enobis 23. Par-

35 (7) 35

23. *Partes solidæ* dicuntur, quæ eundem intra se
situm continue servant, ut fibræ, membranæ, tendines,
cartilaginiæ, ossa, musculi, arteria, venæ, nervi: *fluidæ*
vero vocantur quæ per cavitates solidorum continuie
decurrunt, quales sunt vel *bumores*, quorum nobilissi-
mus est sanguis: vel *vapores* quos Spiritus solent appellare.

24. *Mentis* nomine quam animam rationalem
alii vocant, cogitativum illud principium, quod est in
nobis actuosissimum intelligo, cuius intime sumus con-
scii, ut nec dubitare possimus, quin simul illius existen-
tiæ efficacissime demonstremus.

25. Quod licet innumera percipiat, plura tamen
scire vult atque desiderat: quædam negat, quædam affir-
mat, aliis assensum dat, alii subtrahit; ex cognitis &
perspectis, in obscuriorum & incertiorum notitiâ, nunc
facilius & una solum alterave illatione mediante,
nunc operosius, provehitur.

26. Illorum quæ semel sunt cognita recordatur,
artificiosissima opera excogitat, in omnes actus & ope-
rations suas reflectit.

27. Quod aniat optat & sperat quæ sunt bona,
sed fugit & aversatur, quæ sub ratione mali fuere repræ-
sentata.

28. Qui proprietates hasce quas menti tribui-
mus, varios nempe cogitandi modos, cum proprietati-
bus & operationibus, quas in corpore deprehendimus
accuratius contulerit, nihil connexionis inter se easdem
habere facile deprehendet.

29. In corpore extensionem, & quæ inde fluunt,
negata faltem extensiōne intelligi non possunt, depre-
hen-

hendimus: sed alia plane sunt quæ menti adscribantur
attributa, distinctissimæ operationes.

30. Quodsi ergo substantię sunt primum subjectum
propriatum ac modorum: per attributa & proprietates
cædem nobis innotescunt: diversa autem attributa,
quæ nil connexionis cum se invicem habent, diversum
arguant subjectum, hinc sane colligere licebit, mentem
nostram *substantiam* esse, a qua cogitandi varii modi
proveniunt; & in qua idem tanquam subjecto recipiuntur,
sed *a corpore distinctam*, omnis materiæ & extensiō
nis expertem.

31. Quale vero illud *subjectum* sit, quod materia
non habet, realissimum tamen & maxime positivum
existit, a quo tot reales procedunt effectus, quia
materia provenire nunquam poterant, indicare me non
posse ingenue fateor.

32. Nec indicant, qui mentem *substantiam cogitantem* dicunt. Cum enim cogitationes sint modi,
quin & ipsa facultates, a quibus illæ procedunt, ad modos
sint referenda: hi vero subjectum supponant, no
biscum tandem confiteri debebant: mentem esse subjectum;
nescio quod, nobis ignotum, quod cogitandi &
volendi potentia est instructum.

33. Temerarii autem sunt, qui, cum credant nil
se posse concipere, quod non queant imaginari, nihil item
esse quod non est extensum, oculis videri, manibus
contrectari poterat; mentem ex particulis materiæ compo
nunt. *Quis* enim crederet hos quidem, quid dicant
aut loquantur satis intellexisse.

34. Ex elementis generatim compositam men
tem nostram, *Empedocles* judicavit: ex igneis atomis
con-

conflatam *Democritus* credidit: ex aere, *Anaximenes*, ex aqua *Hippocrates*, ut quibusdam videtur; ex igne & aere, *Epicurus*; ex stellarum cœlesti materia *Heracitus*. Alii ex æthere purissimo, vicissim alii ex aere & æthere eandem derivarunt. Et quis somniis istis antiquorum patiter & recentiorum enarrandis sufficeret.

35. Certo vero certius est, infantia hæc sapere præjudicium. Pueri cum sumus, materialibus unice moverim, nilque illic esse, ubi nil videmus, credere solemus. Ubi ad maturorem ætatem pervenimus, accuratius equidem & cum majori attentione de rebus judicare debe remus, sed ægrius id plerumque procedit, unde errores erroribus cumulare, quam præjudicatas deponere sententias malumus.

36. Qui supponunt, mentem ex particulis materialibus esse conflatam, nisi ludere in re gravioris momenti voluerint, operationes mentis ex particularum indeole imaginabiliter demonstrare debebant. Sed quis est, qui quascunque, qualescunque, aut quantascunque particulas conceperit, vel unam saltem cogitationem, ex particulis istis quas singit, derivare potuit?

37. Finge particulas rotundas, sphäricas, adeoque ad motum maxime comparatas, concipe particulas quadratas vel cubicas, adeoque magis quietas, suppone quamcunque earum figuram, exilitatem, aut crassitatem, finge particulas celeres, vel tardas, suppone quicquid placuerit, & modum imaginabilem ostende, qui hinc idea vel conceptus, non tantum entis singularis, sed & universalis, non tantum corporeæ, sed & spiritualis, reflexa item cogitationum perceptio, judicium, aut ratiocinatio, vultio, & quicquid est hujus generis, queant derivari.

38. Hoc ipsum vero est quod *Spinoze* pariter ac *Hobbesio* debebat opponi. Illi enim mens est subtilissima corporis nostri portio, huic vero accidens corporis, vel motus in organis. Stulta sane & absurdæ sunt hypotheses de mente formatæ, Philosopho plane indignæ, quæ solvendis effectibus, quos menti adscribimus, neutiquam sufficiunt.

39. Quo magis ergo, mens & corpus differunt, eo magis arctissimum illud, quod inter diversissimas hasce substantias intercedit vinculum mirantur Philosophi, ut sint, qui vix sibi temperare possint, quo minus inter monstra nobilissimam hancce Dei referant creaturam.

40. Mentem agere in corpus, ad arbitrium suum hoc illuc ve istud movendo notius est, quam ut in dubium vocari possit. Vicissim vero corpus agere in mentem, negari nec poterat, nec debebat. Dum enim sentiendo, audiendo, videndo, dolendo, ab exteriorum sensuum corporeo contactu corpus patitur, mox status mentis nostra mutatur, novisque occasio præbeatur cogitationibus.

41. Ut vero hæc omnia vel sola confirmat experientia, fallere heic nescia, ita quæ sit arctissimi hujus commercii ratio, hoc tale est, quod explicari non poterat. Nec mirum. Mentis enim idem adæquatam non habemus, quæ huic difficultati solvendæ possit sufficere.

42. Mediantibus Spiritibus animalibus, quo nomine subtilissima sanguinis portiuncula venit, non sensu, sed intellectu deprehendenda, hanc actuum mentis & corporis nostri reciprocationem peragi, omnes credunt; sed quæ inter cogitationes & volitiones, mentis

n.c.-

nostri actus, spiritus item animales, non sine omni exten-
sione concipiendos sit connexio, hoc ipsum est, quod in-
dicari non posse, in genue fatemur.

43. Ad solum ergo summi Numinis beneplaci-
tum configiendum plerique judicant, quo voluit diver-
fas hanc substantias, tam arte inter se esse conjunctas &
connexas, ut ad motus in corpore, motus in mente,
& vicissim ad motus mentis, certi motus in corpore se-
quantur.

44. Qui vero Deum solum hic omnia peragere, mo-
taq; mente movere corpus, moto autem corpore mentem
iterum movere credunt, hi certum supponunt, creaturas
nihil, Deum vero omnia solum peragere, quod & Scripturae
& rationi esse adversum, ab aliis dudum est demonstra-
tum. Quodsi Deus, spiritualis substantia, movet hoc u-
niversum, materiale licet ac corporeum, qui non po-
tuisset menti, quam ad imaginem suam formavit, talem
pro libitu suo concedere potentiam, qua exiguum
hocce corpusculum movere & dirigere ipsa possit.

45. Vanum vero & in utili suscepserunt laborem,
qui ad operationes, quæ in corpore peraguntur, rectius
concipiendas, tertiam quandam partem hominis essen-
tiale, a corpore & mente distinctam excogitarunt,
Pecaria namque haec est hypothesis, nec tollit difficultates,
quas tollere debebat. Erit namque tertia illa pars
vel extensa, vel omnis extensionis expers: si illud, ad cor-
pus pertinebit, si hoc, qui a mente sit distincta, demon-
strari debebat. Quicquid ceterum dixerint, dubia ea-
dem remanebunt.

46. Substantias operationes distinguunt. Quic-
quid vero est operationis in nobis deprehensæ, vel ad cor-

pus, vel ad mentem, nunc cum corpore, nunc sine illo operantem poterat revocari. Entia ergo præter necessitatem multiplicant, qui trium partium essentialium in homine sunt Patroni.

47. Et ipsa prima hominis origo, & interitus, duas saltem partes hominis essentiales demonstrant. Formavit Deus hominem, ut docent Sacrae Pandectæ, ex limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitatum, & factus est homo vivus. Cum moritur homo, & sarcinam hanc deponit anima, duas iterum partes se produnt. Manet enim corpus ex anime, anima semel in hunc rerum ordinem admissa perennat. De tertia ergo parte, nihil vel Natura, vel Scriptura, illis præsertim locis, quæ de hominis partibus essentialibus ex instituto præcipiunt.

48. Quod si sanguinem, spiritusque animales cum Connore aliquis, tertiam partem, dicere velles, e quidem tribus hominem constare partibus certissimum foret. Certum tamen & hoc est, peculiarem & a corpore distinctam substantiam, nec sanguinem nec animales illos Spiritus constitueret, cum ad substantiam extensam, quam corpus dicimus, & possint & debeant revocari.

49. Gravius vero sine dubio aberrant illi, qui mentem, substantia divinae particulam dicere non ventur, tertiam vero quam addunt partem, ex coelesti siderum materia derivant. Antiquissimus hic est error, quem in Platonicis, Stoicis, Pythagoræis, aliisque dudum alii rejicere, absono autem de duplice principio, bono & malo, nifitur commento. Deum rerum efficientem & finalē esse causam, & sana ratio & Scriptura Sacra com-

commonstrat; ex essentia ejus, vel mentes, vel alias res
creatas prodisse, nec hæc nec illa docet. *Quod si* men-
tes sunt essentiæ divinæ particulæ, aut dicendum, ipsum
Deum peccare, multisque vexari miseriis & calamitati-
bus, aut statuendum, Deum in particulas dispergi, & dilata-
cerari, quorum utrumque & est ineptum & impium.

50. Sed ut in excessu peccant trium partium defen-
sores, ita in defectu peccarunt illi, qui hominem
sola mente constare credidere, corpus pro carcere &
ergastulo habentes, in quod mens detrusa, ut pœnas lu-
ceret peccato debitas. Mera namq; hæc sunt somnia, mera
commenta, quæ ut sine ratione allegantur, ita sine o-
perosiori refutatione mox rejiciuntur.

51. Supponit hypothesis illa, animas præ extitisse
ante corpora, & peccato, nescio quo, ut in corpora de-
truderentur, meruisse; quorum tamen nihil demon-
stratum hæc tenus fuisse video. Audiverant aliquid
de feliciori hominis statu, advertebant mentem a
corpo iterum separatam, feliciorem degere vitam, hæc
ergo sufficere credebant commento huic, hominem sola
mente absolvı, & mere accidentalem, hanc inter & cor-
pus intercedere unionem.

52. Sunt qui ejusdem erroris Cartesium con-
vincere, ex primo quod assumpsit, disputaturus contra Sce-
pticos, principio: *Cogito ergo sum*, fuere annisi. Sed
Philosophia Cartesii hoc est adversum, nec consequen-
tias minime firmas Philosophus unquam admiserit.

53. Certum hoc interim est manetque, mentem
ipso corpore longe excellentiorem esse substantiam, qua
fere sola homo brutis præstat. *Quod si* enim vel maxi-
me bruta, non mera esse corpora dixeris, sed princi-

pium spirituale, percipiens, dirigen^s intra se habere credideris, multis tamen modis spiritualem illam, quae est in nobis substantiam, illud principium, quod est in brutis, perfectio ne vincere, ipsa operationum hominum ac brutorum differentia satis commonfrat.

54. Ceterum ut mens & corpus substantiae sunt a^{et}issimo colligatae vinculo, ita nec dubium quin simul illae operentur. Sunt vero & aliae *operationes*, qua tantum vel ad *corpus*, vel ad *mentem* referri debeant. Has mentales & puras ; illas corporeas voco, quemadmodum istae, ad quas mens pariter & corpus concurrunt, communes, mixtae, & propriissime humanae possunt appellari.

55 In operationibus hisce *vite* consistit exercitium, unde pro diversitate illarum, vita quoque hominis variat, ut tamen cessante una, cesseret & altera. Est enim vita alia corporea, quam animalem alii vocant, & vegetativam ac sensitivam comprehendit, alia rationalis, alia denique significati propriiori humana.

56 Ad *animalem vitam* pertinet, quod nutriantur homines, nutriendo sensim augescant, similia mediantibus novis seminibus producant. Huc vero sensus quoque, ut dicit motum in organis sensoriis, revocari debebat.

57. In sanguine autem & spiritibus animalibus, qui vero simul organa in corpore nostro, ad scopum huncce satis confirmatae requirunt, vita haec est querenda. Quodsi animae vegetativa ac sensitivae notiones placuerint, non pugnabo, sedulo saltem cavendum, ne dum res toto genere diversa, uno effieran^tur nomine, pessima rerum distinctiarum confusione, haec nominis identitas, prebeat occasionem. Nec suaderem, ut per abstrac-

ctionem quandam, satis ineptam, generaliorem animæ conceptum, qui tum vegetativæ, tum sensitivæ, ac rationali competere posse, investiges. Multo minus vellem, ut animam rationalem re ipsa cum vegetativa & sensitiva convenire credas, aut alia defendas, quæ res non explicant sed implicant, Philosophiam obscuram, ineptam & stolidam reddunt.

58. Scriptura animam brutorum in sanguine quaerit, nec aliud est *anima sensitiva* quam subtilissimus corporis liquor, partes corporis continue actuans, qui corpore pereunte perit, inque tenues dissipatur auras.

59. *Vita rationalis* menti competit, & cogitando, intelligendo & volendo se exserit. Intellectus namque & voluntas facultates mentis sunt præcipuae, a quibus provenit, quicquid est operationis puræ & mentalis. An præter has alii adhuc potentissimæ mens nostra sit instruta, nec affirmare, nec negare volumus. Tunc denum, quas facultates mens nostra possideat intelligere incipimus, cum iis semel usi sumus. Quicquid hactenus sumus experti, ad intellectum & voluntatem redit, forte plures facultates experturi, ubi mens a corpore separata, vel corpori subtiliori fuerit conjuncta.

60. *Humana* denique vita in sensu consistit, cum judicio mentis, reflexione in perceptiones nostras conjuncta, imaginativæ facultatis exercitio, motu corporis nostri voluntario, appetitu sensitivationali, sermone, loqua, aliisque actibus, ad quos mens pariter & corpus concurrunt.

61. Vita mors opponitur, quæ omnimodam operationum & actuum vitalium dicit cessationem.

62. Nec

62. Nec vero ut vita triplex, ita totuplex quoque mors existit. Mentem enim nostram, ubi semel existere cepit, perennare, & illius natura, & Dei bonitas ac justitia satis evincunt, id quod & saniorum gentilium plurimi assecuti, de quo alia occasione uberioris dicendum.

63. Duplex ergo tantum mors existit. Altera quidem vitæ animali opponitur, & in dissolutione corporis, animæque corporeæ consitit, deficiente igne vitali, Spiritibusve animalibus. Altera vero vitæ humanae est privatio, qua unio mentis cum corpore dissolvitur, mutuum utriusque commercium tollitur, deficiente ministro, quo hactenus mens ad opérations humanae absolventas fuerat usा.

64. Nulla tempore alteram videtur antecedere, natura tamen mors animalis, morte humana est prior. Ubi enim in auras dissipatis ignis vitalis, spiritus animales in cerebro stabulantes evanuere, corpus animale moritur, omni decinceps sensu, motuque destitutum, ad mentis imperium & mutuum cum hocce commercium continuandum prorsus ineptum, ut tandem mens habitaculum illud suum relinquere cogatur.

65. Quamdiu mens est in corpore, non tota est in hoc toto corpore, nec tota in qualibet corporis humani parte habitat, ut credidere aliqui, animam, sensitivam cum rationali manifeste confundentes.

66. Miror sane quod lego : *Eque intellectus est in pedibus, parte vilissima, ac in capite, arte sapientiae : eque voluntas est in pentriculo; ac in oculo, eque in abdomen, ac in facie.*

67. Rectius

¹¹⁵ 67. Rectius illi qui cerebrum nientis nostræ sedena
esse statuunt, cum in hoc tanquam in centro omnes
nervi concurrant. In capite sunt organa pleraque sen-
soria, ut nobilissima corporis nostri pars, nobilissimo
hoc horpite minime sit indigna.

¹²⁰ 68. Cum ipsa vero mentis substantia effectus mi-
nime sunt confundendi, hos enim in corde, aliisque cor-
poris nostri partibus sese exferere lubenter damus. Sci-
licet ipsa mens in capite, tanquam in metropoli qua-
dam habitat, ministerio Spirituum animalium, qui sunt
ad nutum illius paratissimi, stipata, per quos quicquid
est organi in reliquo corpore nostro ad motum non in-
epti, regit, dirigit atque gubernat.

¹²⁵ 69. Ceterum cum quotidie homines moriantur,
haud vanum hoc ipsum nobis præbere poterat documentum,
non ab æterno homines extitisse, cum nulla ratio,
quare id quod est æternum, necessariam & perpetuo du-
raturam non obtingat existentiam.

¹³⁰ 70. Hujus tamen erroris incusatur *Aristoteles*, qui
ut mundum ipsum, ita hoc quoque nobile mundi com-
pendium, inepte crediderit æternum. Sane non tantum
Scriptura Sacra, nec mundum, nec homines ab æterno
fuisse docet: sed quantum ad originem hominum, ipsa
ratio ex inventis & excultis scientiis, gentium Annalibus,
idem haud obscure concludit. Certe longe aliam scientiæ
& artes ante quatuor vel mille annos habuissent faciem,
si ab æterno homines extitissent, cum vel mille anno-
rum spatio inventa hominum, quos ipse Aristoteles sci-
endi cupidos dixit, mira acceperint incrementa.

¹³⁵ 71. Nec tamen meliora illorum sunt asserta, quia
C ho-

homines, admirandas illas substantias, vermiculorum aut fungorum instar de terra prorupisse crediderunt, ex axis prodigiis durum hocce mortalium genus dixerunt, aut aliis commentis in subsidium vocatis, primam hominis originem explicarunt. Non Philosophis, sed Pictoribus & Poetis hæc sunt digna statuta, quibus fingendi semper fuit æqua potestas. Inepta sane hæc sunt & ridicula, nec turpius se unquam traduxere Philosophi, quam cum animum ad primas hominum natales explicandas addecerent.

72. Prima hominis origo res est facti, quæ non tam ex rationis dictaminibus, vel conjecturis ne rationi quidem satis convenientibus, quam antiquissimis potius, gentis antiquissimæ Annalibus, quales libri Mosaici pandunt, quibus ipsi gentiles pretium aliquod ponebant, repetenda venit.

73. Deo sane digna, artifice sapientissimo, hæc artificiosissima corporis humani machina, in qua plura sunt miracula, quam particulae. Ad Deum mentis nostræ substantiae illius realissimæ natales referendæ: nec alium quam summum hoc Numen miranda substantiarum quæ hominem absolvunt unio, habere poterat Autorem. Sane qui Deum querit, se ipsum saltem intueatur, & luculentissima existentia, sapientia, bonitatis, ac potentia divina documenta, intra se ipsum deprehendet.

74. Huic ergo vivamus, qui vivere nobis dedit, huic & mentem & corpus, nosque totos regendos & ducendos tradamus. *Intellectum* nobis dedit, hunc ergo, ejusque voluntatem sanctissimam, rite cognoscamus,

ele-

elegantiorem nostram Philosophiam reputantes, Deum ejusque decreta nosse. *Voluntatem* dedit cum desiderio boni infiniti, quod solum mentem nostram quietam & tranquillam reddere potest; Deo ergo, summo illi bono, infucato adhæreamus amore, in amore vero virtutem exhibeamus, non fucatam illam & hypocriticam, quæ cum voluptate, intolerabili præsertim ambitione, avaritia, pertinacia, invidia, aliorum opressione, aliisque vitiis, sub pietatis tamen specie aliquando incidentibus, est conjuncta: sed veram & genuinam, quæ infucatum Dei amorem agnoscit fundamentum. *Corpus* dedit, illudque variis membris instruxit, hæc ergo non nequitiae, sed justitiae sint arma, ad exequendum, quod verum rectumque cognovimus, paratißima. Verbo, ita vivamus, ut hinc Dei gloria, nostra aliorumque salus vel promoteatur, vel conservetur.

75. Vidimus ergo, quantum instituti permisit ratio, hominem rem esse vel *creataram*, ex *mente finita*, & *corpo organico constantem*. Unicum restat, ut quid de recepta illa, quæ martyr Logicorum dici meruit, hominis definitione, qua *animal rationale* vocatur, si sentiendum, paucis exponam.

76. Miror sane pro exemplo perfectæ definitionis illam allegari, quæ nec clara, nec accurata, ut rigidum ad regulas bona definitionis sustinere possit examen.

77. Ut enim taceam, quod tamen alii tacendum vix credunt, admirabilem illam duarum substantiarum unionem hac definitione satis perspicue insinuatam non esse:

esse: certum est, claræ ac distinctæ nostræ cognitioni illam minime inservire, quam tamen definitiones unice intendunt.

78. Clarius quid sit homo, quam quid sit *animal rationale* intelligo, idemque sine dubio confitebuntur, qui vel autoritatis, vel antiquitatis præjudicio non laborant. Pone *animal* substantiam esse animatam, viventem, sensu præditam, dubito an clariores hos sit deprehensus conceptus, sicuti accuratiōres de illis instituere placuerit meditationes. *Rationale* vero ambiguī est significatus vocabulum, sed æquivationem obscuritatis esse causam, omnes fatentur. Quocunque ceterum sensu vocabulum illud acceperint, minus accurata hæc erit differentia.

79. Quodsi *rationale* idem est, quod cognitionis particeps, quid vetat bruta quoque animalia rationalia salutasse, cum his cognitionem non denegent tribuant, decentratae hujus definitioris Patroni. Si *rationale* id est, quod ex ignotis nota deducere potest, novo hæc differentia laborabit vitio. Ex ignotis namque nota deducere minor est hominis perfectio, major vero est apprehensio simplex, quam & cognitionem noeticam appellant, cum quo perfectior homo redditur, mente rerum cognitione illustrata, eo minus ratiocinetur. Dicendum ergo foret, hominem quo redditur perfectior, eo magis naturam suam amittere, quod nemo facile admiserit.

80. Sed aliud adhuc est quod huic objici, non sine ratione, poterat differentia. Ipsimet, qui hanc probant definitionem, requirunt ad differentiam, quæ essentiam rei rite explicat, ut sit primus conceptus, cuius

ius ratio a priori dari non poterat, ex quo vero prædicta necessaria, tanquam a ratione fluunt & deducuntur. Id vero hic minime observatum esse credidimus. Quærenti enim, quare homo est rationalis? cur non apte responderem, quia merum corpus non est, sed principium cogitativum corpus inhabitat, quod mentem dicimus, ut volendi, ita & cognoscendi, percipiendi, iudicandi, & ratiocinandi potentia instructum.

81. Sed nec *genus*, quod animal constituit, rite assignatum. Animal, ut docent tabulæ prædicamentales, sub corpore continetur, spirituali substanciali opposito, dicere ergo hominem esse animal, idem est, quod dicere hominem esse corpus, quia cum alterum, ut habet regula ante prædicamentalis, de altero, tanquam de subjecto prædicatur, quæcunque de hoc prædicato dicuntur, dicuntur etiam de subjecto. Sed quis hominem esse corpus, concesserit. Hominem habere corpus nemo negat, sed esse corpus, hoc est quod infinitiamur. Et caput habet homo, & ventrem, & pedes, nec tamen homo vel caput, vel venter, vel pes dici poterat. Mentem quoque habet, quæ Spiritus existit, ac nobilior hominis pars est, nemine negante nec tamen mens dici poterat: quatinus, cum a posteriori fiat denominatio, tolerabilius erratum fuisset, si hominem Spiritum vel mentem vocassent. Ubi res ex duabus substanciali, ut homo ex mente & corpore, est conflata, composita est substantia, male vero una exillis generis loco allegatur.

82. Denique, ut alia taceam, quæ satis ineptam illam esse definitionem, ulterius probare poterant, certum est, in definitione *genus* convenientiam exprimere

debere, quam res habet cum illis, quæ maxime sunt cognata, unde proximum omnes requirunt: *differentiam* vero indicare rursus debere, quomodo res ab illis præsertim differat, quæ sunt eidem maxime affines. Hæc vero definitio, supponit hominem brutis similiorem esse, quam vel Deo vel Angelis, quod minime concedendum, humanae nostræ naturæ excellitia prohibet. Quamvis enim Platonicis nunquam concederim, sola mente hominem absolví, præstantiorem tamen hominis partem illam esse, minime negandum. Deo ergo & Angelis magis nos esse affines, quam bestiis, si non secundum illa quæ sensus afficiunt, sed quæ sensus fugiunt, sola que mente pavidentur, præstantiora autem sunt in hominie pro nuntiandum fuerit, omnino statuendum putamus.

83. Quo minus ergo receptam illam hominis definitionem probare possim, sat graves me habere causas, neminem non intellecturum facile spero. Non placet mihi illorum philosophandi methodus, qui a receptis doctrinis sine ratione prægnanti recedunt, solo novitatis studio, recedunt vero hodie plurimi: nec tamen antiqua, quia sunt antiqua, statim probo. Antiquam doctrinam sequor, ubi fundatam invenio: desero vero, recentioribusque subscribo, ubi illa se minus mihi probaverit, quia libere philosophandum, omnes confitentur.



ULB Halle
003 620 00X

3



5b,

VII

17





20
32.b.N.

DE
H O M I N E

P R A E S I D E

M. IO. LVDOVICO BOYE,
FACVLT. PHILOS. ADJVNCTO

Disputabit d. 21. April. 1714.

ANDREAS BENTZIVS, Colmaria-Alfatus.

T T P I S W E R T H E R I A N I S.
